

CONRADVS BARO A VVEINS PERG.



Conradus ex illustri familia baronū de Vuein
sp erg natus fuit. Is ab ineunte ætate uirtutib.
operā dedit, atq; ob uitæ integritatē in maxima au
toritate fuit. Hunc Sigismūdus Cesar & principes
Imperiū plurimū amarūt, atq; ob rerum peritiam
res maximas ei cōmendarunt. Itaq; factum cum Si
gismundus mortuus esset, atq; Eugenius pontifex
Concilio Basiliensi repugnaret, ut ab Alberti Cæ
sar is oratoribus Patauiensi & Augustano Episco
pis hic Conradus protector Concilij ex mandato
Cæsar is & S. Patrum ordinaretur. Eam functionē
ipse magna laude administravit, atq; postea Fœli
cē electum nouum pontificē, unā cum marchione
de Rœtelen honoris causa per urbē duxerunt, ex utraq; parte eū comitātes,
& equi frenū in manu tenentes. Itaq; hunc Conradum omnes suspiciebāt, at
que in magna existimatione uenerabantur. Acta Concil. Basil.